IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 31v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Ut inhabitem in futuro in celesti iherusalem eternaliter

Psalmus 23 In quo de glorificatione xpi et hominis reparatione

Propheta ondit xpm dominum esse orbis terrarum ut sicut nullus ab eius imperio probatur exceptus ita nec ab eius fide quis debeat esse alienus dicens

Domini idest xpi qui qui est rex regum et dominus dominantium est terra quam creauit et omnia quibus plena est et ornata orbis terrarum cum habitatoribus suis

Quia ipse iuxta iuxta maria firmam statuit ut mare eam non totam occupet ut homines et animalia in ea possent viuere et iuxta flumina preparauit s. orbem terrarum

Propheta querit quis sit dignus qui in culmen virtutum possit ascendere dicens Quis quasi diceret pauci ascendent in montem perfectionis iustitie aut quis dignus est in illa eterna beatitudine cum domino semper manere

Respondit propheta Purus in operibus mundus in cogitationibus qui non accepit in vano animam suam deputando eam seu implicando rebus terrenis et caducis que vane sunt sed magis applicuit eam rebus spiritualibus et eternis cum ipsa sit creatura spiritualis et immortalis nec iurauit in dolo proximo suo ipsum fallaciter decipiendo

Hic accipiet benedictionem a domino in hac vita incrementum virtutum et in alia beatitudinis premium erit enim inter illos quibus in die iudicii dicturus est dominus